

1/95

IDIBVS APRILIBVS

MCMXCV

VARIVS
TOR VARIVS I
VMOR VARIVS I
RVMOR VARIVS I

RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS
TOR VARIVS
A IDIBVS

TOMVS 18

FASC. 107

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA TURICENSIS, in aedibus, quibus nomen aeschlimann publicity est, editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis (annuum):

In Helvetia	sFr.	24.--
In Germania	DM	39.--
In Austria	öS	276.--
In ceteris Europae terris	sFr.	36.--
In terris trans maria sitis	US\$	29.--

Singula specimina qui rogaverit, gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann lic.phil.
Dr.phil. Emanuel Bernard
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum legentibus publicandarum curat:

Christina Meier-Portner

Typographeum:
Copy Quick, Saloduri

Epistulae, mandata mittenda sunt ad domum editoriam

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann publicity
Stadthausstrasse 117
CH - 8400 Winterthur

Institutum pecuniarium:
Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

IMPRESSUM

RVMOR VARIVS wird von der SOCIETAS LATINA TURICENSIS bei aeschlimann publicity herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis (jährlich):

Schweiz	sFr.	24.--
Deutschland	DM	39.--
Österreich	öS	276.--
Übriges Europa	sFr.	36.--
Übersee	US\$	29.--

Einzelne Probenummern sind gratis erhältlich.

Redaktionsteam:

Ulrich Aeschlimann lic.phil.
Dr.phil. Emanuel Bernard
Dr.med. W.F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martin Meier
Daniel Weissmann

Grafik und Layout:

Christine Meier-Portner

Druck:
Copy Quick, Solothurn

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann publicity
Stadthausstrasse 117
CH - 8400 Winterthur

Bankverbindung:
Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri!

Per sedecim annos RUMOR VARIUS ab AKAD^e, cuius in aedibus anno 1978° Udalrico Aeschlimann patre et creatore etiam ortus erat, sumptibus pecunariis adiutus est.

In finem anni 1994¹ autem AKAD subsidia (quae Anglice toto fere in mundo 'sponsoring' dicuntur) renuntiavit. Praeterea Societas Latina Turicensis sedem Turico Vitodurum (Winterthur) in urbem mutavit, et RUMOR VARIUS non iam in aedibus AKAD^{1s}, sed ab 'aeschlimann publicity', officina 'patris' eius, editur.


Sed RUMOR VARIUS quoque non modo amore et aere - ut dicitur - vivere et vesci potest. Fortuna adiuvante novum adiutorem et sponsorem invenimus, qui nomen suum publicari non cupit. Cuius subsidiis adiutus RUMOREM VARIUM porro divulgare possumus. Maximas illi adiutori non nominato gratias agimus!

Quae cum ita sint, vos rogamus, ut porro symbolas ad divulgandum nobis mittatis ad novam inscriptionem cursualem, quam etiam in hoc libello iterum demonstrabimus.

Praeterea pretia omnium rerum etiam hoc anno creverunt. Itaque cogimur subnotationis pretium RUMORIS VARIII augere. Rogamus, ut id benevolentes accipiatis, et speramus vos nobis fidem servaturos esse. Maximas gratias vobis agimus et ipsi quoque operam dabimus, ut RUMOR VARIUS crescat, floreat et vobis, caris legentibus, magna gaudia afferat. Gaudeatis vos quoque vere ineunte his versis e thesauro Aetatis Mediae titulo 'Carmina Burana' excerptis:

Veris leta facies
mundo propinatur,
hiemalis acies
victa iam fugatur,
in vestitu vario
Flora principatur,
nemorum dulcisono
que cantu celebratur.

Valete!


Daniel Weissmann

De nova inscriptione cursuali Societatis Latinae Turicensis et Rumoris Varii

Vos, amicas et amicos nostros, rogamus, ut ex Kalendis Decembribus omnia scripta ad RVMOREM VARIVM pertinentia, sive epistolas sive symbolas, non iam ad aedes AKADIS Turicum mittatis, sed ad inscriptionem cursualem sequentem:

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann publicity
Stadthausstrasse 117
CH-8400 Winterthur
(Schweiz)

Symbolae ad publicandum in RVMORE VARIO etiam ad Danielelem Weissmann mitti possunt. Cuius inscriptio, quam iam dudum novistis, est haec:

Daniel Weissmann
Redaktion RVMOR VARIVS
Tellstrasse 30
CH-3014 Bern
(Schweiz)

Gratias vobis agimus.

Dabamus Vituduri, mense Novembri anno MCMXCIV°.

SOCIETAS LATINA TVRICENSIS
RVMORIS VARIi domus editoria

DE TIMORIBUS VARIIS, QUIBUS AEROPLANO ITER FACIENTES INTERDUM CAPIUNTUR

Anno praeterito cum uxore mea Durbaniam (Durban) in Africa Australi sitam iter feceram. Ibi duas sorores meas visitaveramus, quae ex triginta annis in hac urbe vivunt. Post quattuor fere hebdomadas in patriam Helvetiam redeundum nobis erat.

Durbania ab urbe usque ad Ioannisburgum (Johannesburg) nihil est, quod ad legentes pertineat. Ioannesburgi in alium aeroplanum transire necesse erat. Atqui usque ad silvam vetustissimam nihil erat, quod timerem. Cum autem super silvam vetustissimam volarem, timebam valde, ne aeroplanum nostrum nobiscum in silvam caderet ibique nos postea pastus bestiarum ferarum fieremus.

Cum autem silva vetustissima post nos esset, alius timor me cruciavit, nempe sciebam nos super regionem desertam volare, et timor me invasit, ne in istam regionem caderemus ibique siti et fame cruciati et sine ulla spe nos aliquando reperiri et servari posse misere morituros esse. Semper per parvam fenestram regionem duo milia metrorum infra nos sitam spectabam, dum regiones habitatas assecuti sumus. Sed postea alius timor mihi experrectus est; nam appropinquavimus Mari Mediterraneo (quod Romani 'mare nostrum' appellabant). Ibi timebam, ne in mare caderemus et pastus piscium magnorum fieremus. At aeroplanum non cecidit et mox per fenestram spectans vidi nos super Italiam volare Alpibus Helvetiae appropinquantes. Paulum timore liberatus, mox denuo timebam, ne super alpes Helvetiae de caelo caderemus, fortasse etiam in moles glaciales ibique numquam reperiri. Tandem autem conspexi lacum Turicensem et urbem Turicum, nostram patriam, et subito timere desii pro certo putans nos, si aeroplanum caderet, mox reperiri et servari posse. Volatus noster Durbania ab urbe usque ad Turicum-Kloten, aeriportum Turicensem, duravit undecim horas.

Emanuel Bernard

AMBITUS PARS II

SIVE DESCRIPTIO INTERIORIS URBIS BASILEAE LUDUS LATINUS DELECTANDI MAGIS QUAM DOCENDI CAUSA CONCEPTUS

conscriptus Petrus Wolf, photographis exornavit Petrus Mangold,
impressit Petrus Bauer, auctor fuit ab initio Marcus Kutter

Gymnasio, quod est Basileae in arce
quadringentesimum annum celebranti MXIM

Revertamur ad Maiorem Basileam, contempta Minore; cuius contemptio REX LINGUATUS exemplum dat, olim Portae Rhenanae (anno 1839 destructae) appositus, nunc tabernae cuidam exoticae. Neque linguam sicut antea movet, scilicet ne hospites e Basilea Minore et Germania advenientes deterreat.

Exinde nitamur ascendere SALTUM RHENANUM (vel potius clivum Rhenanum), omissis illis gradibus qui XI M virginum nomen gerunt. Vix animo capimus miraculum, tantum numerum virginum sanctarum illac ascendisse; sed scriptura XI M VIRG, quae legitur in quadam inscriptione Coloniae in templo S. Ursulae, fortasse non «undecim milia virginum» sed «undecim martyres virgines» significat.

Ad sinistram apparet pictura puellae anseres pascentis. Nondum finita videtur pictura: etenim exstant scalae

et tabulae quibus insistit pictor – nisi forte oculi decipiuntur. Ceterum is qui anno 1978 hanc imaginem pinxit, Samuel Buri, inter patronos sollemnum et festivitatis gymnasii receptus est.

Sequitur COLLEGIUM ACADEMICUM pristinum, ubi is qui haec conscripsit cum aequalibus studia academica inchoavit. Nunc animantium¹ cognitio contemplatioque hoc loco fervet.

Ad dextram arduus quidam clivus ducit et ad TABULARIUM PUBLICUM, ex quo nomen habet «Archivgässlein», et ad parochiam MARTINO Turonensi episcopo sacratam; quod templum, ad festivos conventus maxime idoneum, etiam gymnasium nostrum finito anno scholastico ad festum «promotionis» (ubi discipuli ex inferiore classe in superiorem promoventur) suscipere solebat. Quae consuetudo, per aliquot annos

¹ *Lebewesen (Zool. Institut)*

omissa, anno 1986 redintegrata est; quin etiam sermonem Latinum habuit virgo matura (nam inde ab anno 1968 gymnasium etiam puellis patet).

Post Collegii tam humile aedificium ad sinistram quidem prospectus supra Rhenum patet; ad dextram autem duae sunt magnificae domus, DOMUS CAERULEA et DOMUS ALBA, saeculo XVIII duobus fratribus e gente Sarasin ab architecto Werenfels erectae, postea in usum publicae administrationis traductae.

«Saltum Rhenanum» excipit VIA AUGUSTINENSIVM, ubi coenobium eremitarum ordinis divi Augustini fuit, quoad eius loco Museum duplex conditum est, hinc rerum naturalium studiosis exempla antiquissima et imitamina exhibens, illinc mores gentium illustrans. Iuxta Museum exigua quaedam domus supra ianuam hanc ostendit brevissimam inscriptionem MORITURO SAT, id est: haec domus, quamvis modesta, homini mortali, cuius «vita brevis est, brevi finietur», satis esse debet. Inde hanc domum incolae cognomine «Mortürli» vocabant. Pater illius J. J. Bachofen, cuius infra mentio fiet, aedificandam curavit, sed numquam inhabitavit.

Ambitum finimus eodem loco, unde egressi sumus: in PLATEA BASILICAE MAIORIS. Ad sinistram conspicimus eam domum, cui nomen est Sacellum S. Johannis. Proximo saeculo hic habitavit et mortuus est Johannes Jaco-

bus Bachofen, vir doctissimus, antiquitatis investigator, maternae potestatis assertor. Nunc ibidem publice provincia² eruditionis artiumque liberalium administratur.

Media fere in area locus inscriptione notatur, ubi anno 1944 puteus inventus est, quem incolae castelli Romani tertio aut quarto p. Chr. saeculo effoderant, ut ahen³ catenae aptato aquam ex profundo haurirent.

Aliae reliquiae subterraneae eiusdem fere aetatis, et hae quidem accessu faciles (si clavem acceperis), inventae et partim conservatae sunt sub ea domo quae CULEX vocatur. De qua domo pauca referenda sunt.

Hoc quod videmus amplum atque magnificum anno, ut in ostio legitur, 1545 funditus («von Grund uff») novatum est. Per duo fere saecula hic Collectio Amerbachiana collocata fuit, stirps et origo celeberrimi nostri operum artis musei. Saeculo XIX domus «ad Culicem» scholarum usui tradita est; anno 1958 immigravit gymnasium classicum, ut totam latitudinem inter duos in arcem accessus occuparet. Sed nuper, discipulorum turba extenuata, alienas classes admitti necesse fuit.

Sed in priore aedificio factum est aliquid memoria dignum: Pontifex Maximus ecclesiae catholicae occidentalis, successor Petri, nomine non

² *Departement*
³ *Eimer*

omine Felix, anno 1439 a Concilio Basiliensi electus est. De qua re audiamus Aeneam Silvium Piccolomini Senensem⁴ (ex commentariis de gestis Basiliensis concilii):

«... Sed quoniam de conclavi sermo est, necessarium existimo ipsius formam conscribere. Domus erat in medio urbis, apud plateam cathedralis ecclesiae, loco edito et patenti, quam nobiles quondam in usum struxerant chorearum et supra et infra perlatas habentem aulas; et superiorem sane, quoniam igne poterat calefieri, hiemi, inferiorem aestati deputaverant. Hic igitur conclave haberi posse est visum, ut esset domus orationis, ubi fuerat lasciviae campus, et succederent mores, ubi vitia triumpharant . . . »⁵

Is Aeneas Silvius, dum concilio officia praestat, duas scripsit epistulas, in quibus situm et faciem urbis moresque Basiliensium illustrat. Basilea ei quasi

nova urbs visa est, quoniam pleraque vetera famoso illo terrae motu anni 1356 conciderant. In illis descriptionibus observatio rerum praesentium multis luminibus⁶ antiquorum auctorum ornata est. Idem Aeneas Silvius, postea Pontifex Maximus nomine Pius II electus, Basiliensibus petentibus academiam anno 1459 concessit.

Platea Cathedralis Minor est area aesculis hippocastanis⁷ inumbrata cum fonte, quem creavit P. A. Pisoni, idem qui S. Ursi templum Saloduri perfecit.

Post Basilicam planities est – PALATIUM

vulgo appellant –, unde «ad ipsum flumen arvaque longe lateque patentia iucundissimus prospectus datur»⁸. In hac ripa fluvii, ad orientem versus, parochia S. Albani conspicitur; contra, in Basilea Minore, parochia S. Theodori et monasterium Carthusianorum, quod plus tria saecula usque ad nostrum tempus orphanotrophium⁹ orborum parentibus est; deinde

⁶ Glanzlichter

⁷ Roskastanien

⁸ sic Chr. Wursten, Basilea Latina, p. 8

⁹ Waisenhaus



Domus «ad Culicem»: ubi potationes equitum fuerant, conclave ad pontificem maximum eligendum habitum est. Renovatum aedificium Musis patet, initio bibliothecae et picturae, deinde scholarum disciplinae.

S. Clarae templum, anno 1853 civibus catholicae fidei addictis concessum eo loco ubi Clarissarum coenobium fuerat.

Clastrum Clingenthalense in usum profanum mutatum permansit: in amplore parte per centum fere annos ii milites exercebantur, qui aegris et sauciis succurrerent¹⁰, postea id gymnasium, quod discipulis ultra Rhenanum habitantibus definitum est, ibi initia habuit, priusquam propria aedificia in planitie inter urbem et vicum Riehen perfecta sunt. Minor pars claustrum Clingenthalensis nunc est Museum Antiquae Urbis et Basilicae Cathedralis.

Inter Carthusianorum monasterium et S. Clarae templum quiddam est situm quod eminus spectanti latet: detecta nuper fundamenta munitionis quadratae cum quattuor in angulis turribus,

¹⁰ Kaserne für Sanitäts-Rekrutenschulen

quae res miram viris doctis controversiam suscitavit: alteri munimentum illud se invenisse putant, quod secundum Ammi-
anum Marcellinum (30,3,1) imperator Valentinianus anno 374 «prope Basiliam» aedificavit (Basiliae sive Basileae nomen hoc loco primum apparet); alteri reliquias istas mediae aetati et saeculo XII assignant, comparando illi castello quod est in oppido Bernensi Thun.



Cum taedium disciplinae subrepat, prospectus in Basilicae Maioris turres discipulos recreat.

Prospicienti ex Palatio longiore circuitu apparent turres (quas vocamus caminos) INDUSTRIAE CHYMICAE,

quae quanto usui sit urbi et, si non orbi, at certe regioni, quidam aut scire nolunt aut nescire volunt – sed etiam periculo et paene pernicii esse sensimus Kalendis Novembribus anni p. Chr. n. millesimi nongentesimi octogesimi sexti. □

Maximas gratias agimus auctoribus Basiliensibus libelli titulo «AMBITUS», tribus Petris (Petro Wolf, Petro Mangold, Petro Bauer), qui nobis comiter permiserunt hoc textum et nonnullas imagines in RUMORE VARIO divulgare. Non minus Bruno Schneiter gratias agimus, qui nobis textum misit et hanc permissionem curavit.

MORTES

Linus Pauling(ius), bis titularius praemii Nobeliani

Linus Carolus Pauling(ius), bis titularius praemii Nobeliani factus, chemicus et propugnator defensorque pacis Americanus, 93 annos natus diem obiit extremum.



Linus Carolus Pauling(ius) die Iovis 28^o mensis Februarii anno 1901^o Portlandiae (Portland) in Oregonio (Oregon) natus - patre Herimanno Guilelmo Pauling(io), medicamentario seu pharmacopola natione Germano, matre Lucia Isabella Darling(ia), - die Veneris 19^o mensis Augusti anno 1994^o in praedio rustico Californiano diem obiit suum.

Filius advenae natione Germani, chemicus biologusque molecularis atque adversarius armorum atomicorum, suc-

cubuit carcinomati prostatae.

Pauling(ius) suo genere singularis unus et solus erat homo litteratus, qui dua recepit praemia indivisa Nobeliana: anno iam 1954^o pro meritis eius in chemia, anno 1962^o pro contentionibus eius pro custodia pacis.

Pater Lini Caroli Herimannus Guilelmus Pauling(ius), natione Germanus, erat apothecarius sive pharmacopola. Sedecim fere annos natus Linus Carolus studium incepit mathematicae, physicae chemiaeque, postea docuit in Universitate Stanfordensi Pasadenae in oppido. Eam autem universitatem senator Californianus Amasa Leland(ius) Stanford(ius)

(1824-1893) una cum uxore Iohanna e gente Lathrop anno 1885^o condiderat.

Palo Alto in oppido Californiae Linus Pauling(ius) anno 1973^o proprium condidit Institutum Lini Pauling(ii) pro Scientia et Medicina. Magnam movit admirationem theoria eius, quae ad vitaminum C (Acidum ascorbinicum) attinet, anno 1970^o iam prolata. Pauling(ius) ipsemet in dies singulos quantitatem remedii illius 18'000 milligrammatum hausit (dosis commendata normalis: 60 milligrammata quotidie!). Vitaminum C Pauling(ius) non solum contra perfrictiones simplices, sed etiam contra carcinomata efficax valensque esse pro certo affirmavit. Quae cum ita omnia haec facta sint, tamen Linus Carolus Pauling(ius) anno 1991^o carcinomate prostatae correptus tandem mortalitatem explevit.

Opera Lini Caroli Pauling(ii) maioris momenti:

-De natura coniunctionum chemicarum atque de structura molecularum crystallorumque (Anglice: The Nature of the Chemical Bond and the Structure of Molecules and Crystals), anno 1939^o.

-De architectura moleculari (Anglice: Molecular architecture), anno 1948^o.

-Numquam denuo bellum! (Anglice: No more war!), anno 1958^o.

-De vitamino C (acido ascorbinico) atque de perfrictione communi (Anglice: Vitamin C and the Common Cold); anno 1970^o (liber maxime divenditus (Anglice: Bestseller)).

AMICUS



HODIERNI INFELICITAS POETAE


Aevi praeteriti vafri poetae,
argumenta mihi bona abstulistis!
Si vestigia vestra diligenter
calcem, mox videar carere vena
quavis ingenii, velut monilis
infelix imitator impari arte;

intemptata prius neque ante dicta
vix deprompta solent, quasi inficetae
gerrae ridiculae, aspere reprimi.
Vobis fas fuit occupare primis
quae natura dedit stilo canenda:
cordis simplicius novella sensa
narrando, faciles parastis aures
lectorum, quibus ipse candor iste
confestim placuit labore nullo.
Mundus tum patuit recens fruendus
vobis inviolatus et recessus;
nativo elicuistis inde fonte
gemmas aureolo nitore pulchras.
Quidquid tum cecinistis, id magistri
gnavos discipulos statim docebant;
et complura per aeva traditorum
crevit fama magis magisque vatum.
Quin et profuit ipsa raritudo
servatorum operum minore parte:
quare prodigii loco salutant
extractam sabulo Africo papyrum.
Cur nos sors inimica iussit aegros
nasci tam miseris morique saeculis?
Cur non et penitus rudes creavit,
doctrinae stimulis recalcitrantes?
Cur non et genuit pares popello
tantum divitias, dapes petenti?
Pastores ovibus probe caventes
depingas viridis specus in umbra;
somno fac volucres, apes iacentes;
uno tempore dic flagrare amore
te necnon odio; deos honora:
num quod pagina nomen ista possit
auctori parere aut decora signa?
Saltantes agiles simul puellas
in prato cane vespera cadente;
corruptos hominum notare mores
pergas, quo premeris fel evomendo:
laudi materies tributa quondam
Flacco, Vergilio, Albio, Catullo
vertetur vitio tibi misello.

Quid nobis maneat, quod ut repertum
vi tandem propria exhibere detur?
Cedamus, fateamur esse victos;
vos causae nihil ast habere remur,
exemplaria qui dedistis alma,
quod sumatis identidem superbam
frontem; sed miseratione dignos,
quaeso, ducite pallidos nepotes,
quos fortuna minus benigna sprevit.

(Metrum: Catulliani hendecasyllabi)

Orestes Carbonero



Aenigma

1	2	3	4	5	6
2					
3					
4					
5					
6					

1. appropinqua, adi
2. fidem habebis
3. prostravi, terrae afflixi
4. pronuntiavit
5. prostituta, plene praebita
6. multum edere solet

Max Müller de-Vries



SOLUTIONES

De solutionibus nobis missis sortes coniecimus. Ecce illi, qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

<u>primum praemium:</u>	<u>secundum praemium:</u>	<u>tertium praemium:</u>
Max Müller-de Vries Zürcherstr. 10 4143 Dornach	Dr. Beat Zehnder Geissliäcker 1 5623 Boswil	Ursula Schwenk Aehrenweg 13 5430 Wettingen

His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur! Praemia eis mox mittentur!

Rumoris Varii domus editoria

¹ A	² N	³ N	⁴ I	⁵ C	⁶ A
² N	A	U	T	A	S
³ N	U	B	E	N	T
⁴ I	T	E	R	O	R
⁵ C	A	N	O	R	I
⁶ A	S	T	R	I	S

1. nomen mulierum (originis non Latinae)
2. qui per maria vehuntur (Acc. pl.)
3. cum viris se iungent (mulieres)
4. repeto
5. sonantes
6. olim duces nocturni nautarum (Dat. pl.)

Daniel Weissmann



RES MIRAE INAUDITAE

Melopsittacus undulatus docilis sex in linguis blaterat

Melopsittacus undulatus (1) garrulus in Magna Britannia sedem domiciliumque habens nunc se parat discere etiam linguam Theodiscam, sextam quidem linguam inter alias.

Psittacus namque ille nomine 'Candius' (Anglice: Candy) ex oppido Bristolio ad Avantium Inferiorem (Bristol on Lower Avon; Vetero Britannice: Caer Brenn; Latine: Castrum Brenni regis) in comitatu Glocestriensi (Gloucestershire; Vetero Britannice: Caer glovi; Latine: Colonia Glevum sive Claudia Castra) iam versus consonantes seu homoeoteleuta seu nenas infantium atque sententias in linguis Anglica, Vallisia, Francogallica, Islandica atque Russica velociter perneciterque blaterat. Universe avicella illa ambitiosa laudisque gloriaeque avida interea iam 400 verba atque sententias breves loqui potest, sicuti beata possestrix eius Helena Trapnell(ia) (Anglice: Eileen Trapnell) Bristolensis, 47 annos nata, fortissime et pro certo affirmat.

Nunc tandem Candius melopsittacus ad competitionem nominatus est, ut in libera competitorum aemulatione propalam sollertiam docilitatemque multis in linguis loquendi ostentat.

(Fons: Cursus publicus matutinus Berolinensis (Berliner Morgenpost), die Mercurii 10^o mensis Augusti anno 1994^o).

- 1) melopsittacus undulatus Wellensittich/ perruche/ papagallo ondato/ periquito/ parakeet

AMICUS



RES MIRAE INAUDITAE

Puer cuniculum e periculo vitae eripuit

Iacobus (James) Thoroughgood (Latine: Penitusbonus - Nomen atque omen!), puerulus natione Australis tredecim annos natus Sorrento in oppido, provincia Victoria, domicilium habens cuniculum nomine 'Bogedius' (Anglice: Boogedy), qui in aquam incidit, vitam respiratione artificiali 'per os ad os' ab interitu servavit.

Sicut Iacobus renuntiavit, cuniculum illum dilectum exanimem in fundo piscinae praedii parentum Sorrento in oppido Australiae Occidentalis repperit. Iacobus autem - nulla mora interposita - vestimenta detraxit atque e vestigio in aquam insiluit, cuius temperatura prope erat iam puncto congelationis, et quam celerrime omnino fieri poterat, animal ex aqua eripuit. Sed cor cuniculi iam desierat palpitare. Ob eam rem metu summo perterritus Iacobus ilico reanimationem via respirationis artificialis 'per os ad os' et frictionis pectoris peregit.

Feliciter prospereque experimentum illud evenit, nam cuniculus breviter post totam aquam exspuit et actutum denuo spiravit.

Ita intima amicitia familiaritasque inter servatorem Iacobum atque cuniculum servatum Bogedium denuo florescere possunt.

(Fons: Cursus publicus matutinus Berolinensis (Berliner Morgenpost), die Mercurii 10° mensis Augusti anno 1994°).

AMICUS

Facete lepideque dicta



"Primum putavi puellam tergiversari dicentem se aegrotam esse, cum eam osculari vellem. Sed re vera grippa laborabat."

GIBBER

(Narrationis pars quinta et ultima)

Usque ad aedium clatros maestus ascendo, Antonium invenio. "Cras Carolus, Iulia Laetitia huc venient: nudius tertius Carolo occurri meumque auxilium flagitavit, ut aegrotanti socero ei subvenire liceret. De hac re diu sumus collocti, alter ab altero amorem petit, ego totas vires meas experiar, ut vota utriusque ad exitum feliciter perducantur: tu, fac tantum, ut adsis." Elatis manibus eum iterum iterumque consaluto, statim discedo: hortus leniter fulgebatur et caelum ipsum ut immensum quoddam speculum infinitis flosculis ardebat, dum luna iam iam lacus extremum circulum lambebat atque inde quasi rivus argenteis favillis aspersus per placidas saepes usque ad subrubram incurvi senis figuram defluere videbatur.

Per occultas subiacentis vici vias lento gradu deambulo, huc illuc oculos figens, ubi piscatorum domunculae fuscae admodum exsurgunt. Quos ascenderam gradus retro convertito, planiora petens: multa interea mecum ipse loquor, multa non sine animi tristitia cogito.

Insequenti die ad sacellum iterum tendo. Cum autem in templum iniissem, venit ad aures cantus modo levis, modo quadam extenuatione commixtus, organi sonitu submisso vibramine comitante. Erat inter mulieres et viros, quorum voces suavissima vi abreptus persequabatur gibber ille, dum in omnium ore vultuque nescio quae cordis laetitia dulce spirabat. Inter ceteros et Iuliam patri appropinquantem inspexi, qui, nepti blanditus, secum in subsellium duxit. "Tune, amice, quocum non multis abhinc diebus lusi, tu, inquam, avus meus es?" subitae rei admiratione perculsa. "Ego..." brevis ille, facetus. Tum illi quoque cum reliquis

cecinerunt et, postquam ex aede egressi sunt, facere non potuerunt, quin ad suavissimos dulcissimosque cantus mente animoque remearent. Laetitia avum primum, patrem deinde suaviatur. Carolus ubi socerum vidit ei obviam properanter cucurrit eumque diu multumque est amplexus. "Ignosce mihi, precor", contracta voce uterque deflebat, "...ignosce mihi." Animis compositis eos tandem tranquillos et sedatos credideris. Sacris rite peractis Antonius nos benigne excepit, spumantia attulit vina, quo maior esset hilaritas et sincerior sermo. Dum gibber nobis pocula ministrat, quamvis nihil aspere vel incaute dixisset, nihil de pristina hilaritate amisisset, tamen eius verbis praeteritae aetatis imagines adeo clarae inanesque instabant, ut metus et angor interdum ei subirent. Quasi suum silentium fastidiret, huc illuc oculos convertibat ob illarum rerum memoriam. "Mihi iam aetate relanguenti", inquit comiter et graviter, "quid dulcius, quid tamen acrius praeteritorum malorum recordatio, quid iucundius adsiduo sermone consuetaque sermocinatione vobiscum, quos iamdiu pro mortuis habui? Ubi neptem vidi, ubi cordis oculis aspexi meque puerum revisi, facere non potui, quin haud parvi quidem momenti rerum statim commutationem factam esse mente animoque perciperem: te quidem, Carole, te, Iulia, ut paulo ante Laetitiam, mecum hilares ludentes, mecum grata cogitantes nescio qua mentis incitatione instinctus mihi subito effinxi: quibus autem de causis quotienscumque in conspectum meum venistis, incautus neglexi? Et meo vitio et inani rerum volubilitate haec prorsus evenisse opinor. Hoc autem modo, etsi ingratus et insanus, beatissimam unius mulieris memoriam colui, cuius causa, vobis procul amotis, vitam ipsam devovi et gaudia, dolores, dulcedines fere omnes, quas ipse patienter tuli: vos, Iulia, Carole, Laetitia, vos, inquam, et vivitis et estis: at ego, quamquam meorum errorum culparumque haud inscius, usque ad hodiernum diem a me quidem qua vera de causa amovi, obtrextavi, vos omnimodis sprevis?" Haec fatus requievit et tacuit. Post breve temporis spatium, in tacitis herbidisque semitis, alius alium alloquens, deambulamus.

Sub vesperum neptis et avus in hortulum se conferunt, rident, iocantur: commotione elati eos respicimus, abimus.

Duo illi, qui una pariterque floribus consitas areolas lento gradu metiuntur beati quiddam in oris habitu gerunt, quandam redolent humanitatem, ut nihil illis suavius. Eorum tergo furtim adhaereo, vestigiis insto, non ab illis conspectus.

"Quid cogitem, Laetitia", sic gibber, "ne suspicaris quidem, tamen, tibi breviter dicam, si potero. Toto corde depugno et apertis verbis laboro, ut te tuosque, ex quo in lucem edita es, summo amore et caritate prosequare, hoc tamen meis viribus adsequi nequeo. Aviae enim tu memora mihi vultum, cuius imago haudquaquam morata vel cunctata maesto oris habitu me sequitur: te auctrice illa loquitur mihi et oculorum obtutui se praebet. His visis totus indulgeo, sed maxima formidine teneor, quia nemo mihi subvenire potest." - "Non est ut ita dicis, non est..." sic neptis sagaci ore locuta. - "Parum abest, ut tibi fere mendax vel amens esse videar", hinc repetit ipse, "tu contra, singulari ac mira oris specie praedita, mihi unice dilectam mulierem, obstanti mihi, in mentem revocas: tu, tu,...quis es?" Tremula tantummodo porrecta manu puella eius oculos mulcet. "Nova et inaudita narras mihi, ave, sed tu, quis ego sim, revera scis." - "Me suadis verbis allicis, cara, quomodo autem, quae dicis, fieri possunt? quod si mulierem meam, nescio quo pacto, te esse adfirmas, nullo modo tibi prodesse poterit, quia lemurum tantum umbras insequor ego, quas tu iuvenili aetate florens nec gerere nec fingere potes. Si quid misericordiae tibi inest, ne me miserum deserueris, precor: in somnis te video, sed ubi primum imago tua dilabitur, emori tantum cupio...mane, igitur spem confirma...Abest mihi, abest tuorum oculorum nigror, abest aurea crinium iris: Laetitia, dulcissima Laetitia, tecum nunc obortis queror lacrimis, tecum mea somnia suspendo. Praesagiis autem oppressus in somnis mihi videor errare per deserta atque inhospita loca floribus candidissimis maculata iisque, si propius oculos intendo, putrefactis, quasi quem quaeram nec reperire possim. Interdum enim me maestos edentem clamores invenio, in levia quasi somniorum simulacra me dissuo atque dissolvo vel evagando animo cogitata mea visu tactuque visibilia mihi prorsus apparent. Tu, cur vivis, loqueris, spiras?" Laetitia pudore concussa paulum recedit: ille, oculis in vacuo

defixis, balbutientibus labris novissima fatur umbras tantum alloquens. "Insanus es", ita neptis, "sed recte loqueris, recte. Ego enim..." dubitanti sermone perguit, "primum indicium, id est primam huius morbi notam superiore mense, nisi fallor, excepi, dum prima luce ante exitum faciem meam oraue ablueram. Illa die, reserata aqua, iam pronis in liquoribus ora mersura eram, sed exanimata repente in pedibus amplius stare, tamquam caput vertigine correpta, non potui. In primum labrum, omni fronte sudore manante, lapsa sum: de speculo me expallescens cuiusdam vultus anxius immotusque mirabatur. Avia prorsus erat, ego eram avia..." postremo immurmurat interruptis verbis nihil amplius adiungens.

Sacra turris primam noctis vigiliam enumerat: raptim illa erigit terga, oculos claudit amabilis puellae speciem ore vultuque resumens dum longius extrema verba resonare videntur. Gibber aliquantum temporis immotus manet aquarum sonitui attente aures praebens, qui nebularum placide fluentium murmur prosequi nescit. "Cur, cur hinc te abripis, discedis? Cur adultae mulieris habitum mihi resumere negas?" clamat ipse intempestiva sollicitudine turbatus. Nullum autem responsum. Altum silentium omnia tenet, quod flamen tantum noctua rumpit vel identidem hirundo procul vanescens. Considerationibus curisque acrius urgentibus, celerior fit pectoris aestus et cordis angor: ad fontis aquam accedit, ut manus abluat...tunc vehemens aquarum impetus, clamor...nymphaeae leviter moventur. Puella ridet, moratur: canos flosculos manu gerit petalisque fluxis corpus aspergit.

Lux paulatim in arborum gemmas comasque descenderat grandior iam facta suisque vaporis nubeculis extremo caeli marisque limite comitata: nox iamiam aderat, cum coenobio exivi, divina ruris divina maris silentia magis magisque miratus. Templum clauditur aeraque tacent, sed iam ut rerum atra sit maestitia aliae voces aliique rumores et visus temporis momento in umbras subsiliunt pressis fragoribus rura litusque temperantes.

Cum ego in deversorium redissem, arcto gravique somno consopitus haud scio an multas obdormiverim horas, ubi, cubicularii tintinnabuli crepitus intonuit. Cubitoria tunica quam citissime induor, ciliis oculisque iam veterno

inchoato inter se etiamnunc coniventibus, fores statim aperio. Inclinato capite Antonio iniit, oculos manibus compressit atque haesitanti lingua: "Iuliae pater", inquit, "mortuus est." - "Quidnam narras?" aio angore correptus. Ille autem nescio quid compressis labiis submurmuravit ac lacrimam per ora labentem manu deterisit. "Licetne videre eum?" Haud cunctatus: "Sane quidem..." arcta voce respondit.

Prope templi limina adhuc varius hinc illinc clamor, variae elataeque cantiunculae. Dum totus locus atque sacellum vocibus clamoribusque resonat, rotulae sulphurea nitrataque vi incensae ac propulsae in caelum repente subsiliunt nitidisque coloribus ac formis omnia illustrantes. Color subsequitur modo ruber modo gilvus modo fulvus: post, omnes una simul. Hic illic glandes detonant aereis lineis nomina, versicolores formas lucesque aliaque huius modi mirum in modum effingunt et in fumo leviter volitante scintillulae fulgentes ita nitidae ac pulchrae apparent, ut ipsa sidera attingere videantur iisque permisceri: deinde, languescere incipiunt dum scintillarum gyri magno quidem fragore magnoque sonitu in coenobii hortulum repente irrumpunt, repente decidunt. Ubi primum hunc locum inivimus inanime corpus summis in aquis, mulierculis nonnullis atque hominibus circumsaeptum, maestis oculis respeximus capite in latum reclinato, pendentibus brachiis, cruribusque implicitis atque incurvis: risus fulgens fugaci gaudio ortus eius oris lineamenta illustrabat labris in perpetuum detentus, quasi vitae diuturnae felicisque spem exprimere vellet. Haud prope Iulia sibi lacrimas tergit, Carolus horret: me tristes, capite demisso, intuentur. Laetitia avi corpus respectat nullis lacrimis indulgens. Dilucescit: cicadis hic illic crepitantibus, me latam sub quercum recipio, quae nuper exterritus vidi immani animi tristitia recogito neque aestivum aeris aestum, atris visibus detentus, fallere audeo.

Maurus Pisini

FERIAE LATINAE NICENSES NONAE

IN AEDIBUS SEMINARII DIOECESIS NICENSES

C E L E B R A B U N T U R

a Dominica die 27^a m. Augusti 1995, hora 17^a
ad Dominicam diem 3^{am} m. Septembris 95, hora 14^a

Sub auspiciis Operis Fundati Vaticani

"L A T I N I T A S"

Schedae inscriptionis rogandae sunt a :

M. Clément DESESSARD
Résidence des Collines, C.9.
500, rue Léo Brun
F-06210 MANDELIEU

Tel. 93 49 01 91 vel 93 08 67 93



Subnoto RVMOREM VARIVM, ut ipse accipiam (Ich abonniere RVMOR VARIVS für mich selber)

Hier bitte frankieren

Subnoto RVMOREM VARIVM DONO DATVM ei, cuius inscriptio cursualis supra indicata est (Ich abonniere RVMOR VARIVS als Geschenkabonnement für jemanden, dessen Adresse oben angegeben ist:) -----
Factura subnotationis mittenda est ad inscriptionem cursualem infra indicatam (Die Abonnementsrechnung ist zu senden an:)

RVMOR VARIVS
c/o aeschlimann
publicity
Stadthausstr. 117
CH - 8400 Winterthur

Ort, Datum: _____

Unterschrift: _____

AZB

4702 Oensingen

1/95

IDIBVS APRILIBVS

MCMXCV



RVMOR VARIVS



TOMVS 18

FASC. 107